



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 13. Geldria a Burgundo acquisita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV.
A.C. 1473.

tit. S. Sabinæ Cardinali, Ecclesiæ Romanæ Vice-Camerario & antehac Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia. Cum vero Arragonum Rex huic nominationi assentiri renueret, atque Episcopum a Sedis suæ possessione arceret, hac de re cum summo Pontifice transigere necesse erat; unde, cum Ferdinandus Neapolis Rex, quem Papa multum timebat, huic quoque negotio sese ingereret, Sixtus indulgere compellebatur, ut præfata Cæsar-augustana Sedes Alphonso puero in perpetuum fiduciario nomine possidenda relinqueretur. Hac concessione, inquit Cardinalis Papiensis, novum introducebatur exemplum, quod summi Pontifices, Regesque tractu temporis frequentius imitati sunt.

§. XIII.

Geldria a Burgundo acquisita.

Interea Arnoldus Geldriæ Dux, postquam Adolphus ejus filius jussu Burgundiæ Ducis captus, & ad Namurcense castrum deductus erat, ut supra retulimus, in omnes ditiones suas, a quibus per Adolphum ingratum suum filium ejectus fuerat, restituebatur. Verum Burgundiæ Dux, cum privato magis, suoque questui, quam communi aliorum commodo intentus esset, sperabat, quod in præstiti obsequii

quii præmium facile Geldriæ Ducatum Sæcul. XV.
 aucupari posset: ut vero eo certius sua A.C. 1473.
 consilia ad optatum perduceret exitum;
 Ideo Arnoldum insolitis cumulabat hono-
 ribus, ejusque animum variis obsequiis
 tam arcte sibi devinciebat, ut ille, A-
 dolpho suo filio ab hæreditatis jure ex-
 cluso, Burgundum Geldriæ hæredem
 scriberet. Non deerant Adolpho, licet
 captivus esset, inter Patris sui subditos
 Amicorum quam plurimi, qui ei opem
 ferre non modo spondebant, sed & ex-
 tremos pro eo adhibebant conatus, cum
 vero viribus ac numero impares essent,
 potentioribus cedere compellebantur. Er-
 go Burgundiæ Dux Geldriæ Ducatum
 occupat, suoque imperio adjungit. Idem
 crescente in novas opes fortuna tam im-
 modica efferebatur superbia, ut stimu-
 lante ambitionis impetu non solum Du-
 catum suum in regnum erigere, sed e-
 tiam Rex Romanorum appellari ambiret,
 hancque in rem filiam suam Maximili-
 ano Friderici Imperatoris Filio in con-
 jugem dare tentaret.

§. XIV.

*Regis consilium de Connestabili
pledendo.*

Ludovicus XI. Connestabilis Sancti Pau-
 li Comitis perfidiam, & clandestina,
 G g 3 qui-